

\* I \* H \* V \* S \*

~~G. H. #.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

W-23.

SIGNAT. CCCXIII.

Einzelne verstreut  
1941.

Stückzettel erled.

CHRISTIANA CHARITUM TRIGA.

*Scu*

564

16

# DE FIDE, SPE ET CHARITATE DISSERTATIO.

*Quam*

In florentissimâ Wittebergensi Academiâ  
Jehova Benignissimo Auspice

Sub Præsidio

*Admodum Reverendi, Clarissimi & Excellentissimi*


**Dn. BALTHASARIS MEISNERI**

ss. Theol. Doctoris & Professoris publici  
ut eximii, ita celeberrimi

*Publicè ventilandam proponit*

**THEODORUS NIEMAN** Holsatus.

*ad diem 2. Septemb. in Auditorio majori  
horu matutinus.*



*WITTEBERGÆ,*

Ex Officinâ CHRISTIANI THAM,  
Acad. Typogr.

---

*ANNO M DC XXV.*



# Præloquium.

**S**icut antiqui per tres sorores cōjunctas, **Gra-**  
**marum Charuumq; nomine insignitas, significare voluerunt**  
**agriculture utilitatem, & homines ad pacem & probitatem**  
**hortari, quoniam ex hu per divinam bonitatem omnia com-**  
**moda, omnes dixitiae, omnis tranquillitas in humanum genus manaret. No-**  
**bis hoc Ethnicum figmentum, ad pietatem esto incitamentum: Ex Poëticis**  
**Prophetica, ex profanis Christiana eruamus. Gratias tres utilitate praestan-**  
**tes, necessitate venerabiles, amplectandas, adamandas, conservandas, in i. Co-**  
**rint. 13. v. ult. Electum Dei oīeū. Paulus in theatrum Ecclesiasticum pro-**  
**ducit. Quarum nomina in fronte signant, quidnam in recessu habeant. Nam**  
**FIDES, SPES, CHARITAS ut graviter appellantur, ita graviora in-**  
**finuant. Non, hic prolixum cum Gratia gentilibus instituere σύνεσιν,**  
**sacratusq; has Virgines phalerato stylo commendare, necessitas postulat foret**  
**id, ob subsequentem discursum, superfluum. Jam dixisse sat est, EAS, &**  
**ām ea coniunctione uniri, & suavi disiunctione sequestrari. Ut enim prisco-**  
**rum poëtarum ductu, pictores Charitas pingere solebant frontibus aversis,**  
**manibus verò à tergo arctè copulatas, innuentes, lepidissimas sorores firmam**  
**quidem inter se alere familiaritatem, at quamquæ separatim agere sua,**  
**nec esse alieni officii curiosam inspectricem aut magistrum. Haud secus sa-**  
**cerrime virgines firmiori necessitudinis vinculo sunt conjunctæ, quam ut in**  
**bac vitâ divelli possint: Actionibus tamen amicè inter se disident, ut quæq;**  
**in propriis occupata, peregrinus sese non immisceat. Sic FIDES non est sine**  
**CHARITATE, nec SPES sine FIDE. At FIDES sola justificat, non**  
**CHARITAS. Ita FIDES presentibus fiducialiter intendo. SPES fu-**  
**tura prestatando, CHARITAS proximi comoda promovendo, in cōno-**  
**da amovendo, in specifico ac proprio officio dīngēndi w̄c calent, at solida pro-**  
**pinquitas necessaria connexione eas perpetuò continet. Sed his omib; res de-**  
**posit, ut memoratarum Virtutum Indolem excellentesq; usus accuratius &**  
**in specie per vestigemus. Quod ut bonus auspiciis incipiatur, faustusq; terminus**  
**claudatur.**

Suffice CHRISTE novas vires, mentemq; gubernā.

A 2

THESES

## THESES I.

### DE FIDE.

Quod SOL est toti huic universo, id FIDES est homini verbo Christiano. Veluti enim Ille, ceu clarissima lampas, omnia sublunaria, ad negocia impeditè efficienda, tenebris dispulsis, collustrat: ecòtrà sine eodē omnia sunt tenebris involuta, cessat labor, exanimat terror, lumina claudit sopor. Ita, Hæc ubi defit, mortalis homo, densâ velut caligine naturaliter circumfusus, in spiritualibus cœcutit, videns videt & non cernit Matth. 13. v. 14. ex Esâ 6. v. 9. tenebris obscuratam mentem habet, Eph. 4. v. 18. At fidelis multo perspicacior est. Apprehendit enim ipsissimum Justitiae Solem CHRISTUM Mal. 4. v. 20. Et olim tenebris implicatus, jam Lux est in domino. Ephes. 5. v. 8. ut per fidem in spiritualium adyta penetret, & omnia dijudicet. Cor. 2. v. 15. ac in lumine Dei videat lumen Psal. 36. v. 10.

### II.

De hoc spirituali SOLE, hoc est, FIDE primo in loco jure agimus, Quia: I. Ipsa est fundamentum Spei & Charitatis. Heb. II. v. 6. & hæc ab illa promanant Galat. 5. v. 5. 6. Jac. 2. v. 18 22. ab eadem vero separatae peccatum sunt. Rom. 14. v. 23. II. Prima à Deo nobis mandatur, prima à nobis requiritur. Johan. 6. v. 28. 29. Actor. 16. v. 30 31. I. Joh. 3. v. 23. III. Primâ sede locatur ab Apostolo I. Cor. 13. v. ult. I. Tim. I. v. 14.

### III.

Fidei vocabulum est ἡ πεπλαχθεῖσα λέγουσθαι, cuius varia significata eruditè recenset Flacius part. Clav. methodicè Dn. Gerhardus in 3. Classes disponit. Tom. 3 de Just. § 66.

### IV.

Nostro instituto ista fidei significatio potissimum servit, in qua eam Paulus in aureâ ad Romanos epistolâ, ubi docet nos fidei justificari, usurpavit.

### V.

Fidem Justificantem, quæ & Salvifica, Fides Christi ac Evangelica nuncupatur, definimus, quod sit ex agnita & approbatâ divini verbi veritate per Spiritum sanctum, divinæ gratiæ seu misericordiæ per Christum in promissione Evangelica fiducialis apprehensio ad salutem æternam.

### VI. Ejus

Momony.  
mia

Definitio.

## VI.

Eius tres sunt Partes, Gradus seu Actus. 1. Notitia. 2. Assensus. Fidei partes.  
3. Fiducia.

## VII.

Notitia sive *πιστωντς*, quæ Fidei generalis nomen alias fortitudo, est fidei pars prima, quæ sciuntur ea, quæ tum ad Dei, tum ad nostri notitiam spectant, & juncta est cum quadam *ανελεια*, explorante, An Veritas credenda sit verbum Dei, aut cum eodem consentiat. Hanc notitiam fidei competere & necessariam esse, prælucente Scriptura, asserimus. Vocatur enim scientia salutis Luc. 1. v. 77. Revelatio & notitia mysteriorum Dei. Rom. 16. v. 25. Ephes. 3. v. 3. Col. 1. v. 26. 27 Sapientia Dei 1. Cor. 1. v. 24 cap. 2. v. 6. 7. Plenitudo intellectus. Col. 2. v. 2. agnitus veritatis 1. Tim. 2. v. 4. 2. Tim. 3. v. 7. Tit. 1. v. 1. Adde Esa. 53 v. 11. Joh. 17. v. 3. Heb. 11. v. 3.

## VIII.

Bellarmino Jesuiticæ phalangis Hyperaspistæ hæc sententia improbat. Nam lib. 1. de Justif. in calce cap. 7 inquit: *Judicium sive assensus duplex est. Alter enim sequitur rationem & evidentiā rei, alter auctoritatem proponentis, prior dicitur notitia (si propriè loqui velimus) posterior fides.* Et tandem: *Igitur mysteria fides, quæ rationem superant, credimus, non intelligimus, ac per hoc fides distinguitur contra scientiam, & melius per ignorantiam, quam per notitiam definitur.* In antithesi & thesi causam suam agit. In antithesi Fidem esse notitiam negat. Rationes sunt: 1. Quia notitia sequitur rationem & evidentiā rei. 2. Mysteria fidei tantum credimus, non intelligimus. 3. Fides per se intelligere contrā scientiam distinguitur. In Thesi affirmat Fidem melius per Ignorantiam definiri.

## IX.

Bellarminiana sententia veræ *αναπονη*, ut omni furo exuta suam falsitatem ostendat, singulas rationes ad formam syllogisticae redigere operæ est pretium.

I. Ratio. Omnis notitia sequitur rationem & evidentiā rei.

Fides non sequitur rationem & evidentiā rei.

E. Fides non est notitia.

R. I. Majoris universalitas non est vera. Duplex enim datur notitia. Alia quæ versatur circa *τὸ εἰδῶ*, Num res sit: Alia circa *τὸ γένος*

**B**, quid sit. Illa est, quum rem esse certò cognoscimus; hæc rei essentiam, causas, modos & proprietates intimius exploratas cognoscit ac intelligit. Illa fidei rectè attribuitur; hæc minimè. 2. Cognitio sive notitia, alia est hujus mundi. Cor. 3. v. 19 Alia Dei. Corint. I. v. 24. cap. 2 v. 6 7. Hujus mundi, est cognitio quædam ex principiis humanæ rationis deducta, in majori propositione ab adversario tacta. Deiverò, est à Spiritu S. per Evangelium accensa, sola revelatione nixa. Friorem extrà mysteriorum fidei pomæria manere jubemus. Posteriorem intra recipimus.

**II. Ratio.** Nulla credibilia sunt intelligibilia.

Mysteria fidei sunt credibilia.

E non sunt intelligibilia.

**R. 1.** Tò credere & nò Intelligere ex falsâ hypothesi sibi invicem opponuntur. Adversarius enim pro vero & certo ponit, omnem notitiam seu Intellectum provenire ex ratione & evidentiâ rei & hinc oppositionem contextam majori includit, quod ex pro Syllogismo dispalesceret. 2. Major apertè contradicit Scripturæ, quæ fidem cum notitia constare docet, vid. §7. 3. Mysteria fidei non sunt Intelligibilia, vel absolute & in se, vel relatè & secundùm alios. Absolutè, in se sunt perspicua, clara & intelligibilia, ut docetur alibi. Relatè, sunt quandoq; obscura & non intelligibilia, quandoq; perspicua, clara & intelligibilia, pro diversitate hominum ea vel legentium vel audientium. Ab homine in naturalibus relicto mysteria fidei non percipi, sed ipsi stultitiam esse, nec posse cognoscere, extat. Cor. 2. v. 14. Verum hominem fidelem in eodem obscuritatis luto hærere, nuspian scripture asserit, potius contrarium: fidelem scilicet, res creditas scire. Job. 19. v. 25. Jer. 31. v. 34 Matth. 13. v. 23. Ioan. 6. v. 69. Rom. 8. v. 28. & passim.

Majoris prosyllogismus est:

Quæ rationem superant, non intelliguntur:

Mysteria fidei rationem superant.

E non intelliguntur.

**R. 1.** Concedere possemus totum, hoc pacto. Quæ rationem superant, ratiocinando, naturaliter & intuitivè non intelliguntur, & sic Subsumptio de mysteriis fidei militat. At secus, si excludatur Intelligentia ea, quæ mysteria novit quoad existentiam ex revelatio-

567

ne, secundum conditionem notitiae spiritualis, nobis viatoribus  
competentia.

III. Ratio. Fides per non Intelligere distinguitur contrà scien-  
tiam. E Fides non est notitia.

R. 1. In antecedente fidei intelligentiam derogando adversarius  
capiti II. ad Heb. v. 3. dicam scribit, & sibi ipsi contrarius est, Libro  
enim i. de Just. c. 5. ait, in citato Epistolæ ad Heb. loco, actum fidei  
describi per vocem intelligendi. 2. Distinguimus intelligentiam  
divinam & humanam. Illa duntaxat fidei competit, hanc, quam  
negamus, nobis adversarius obtrudit, cum propriis igitur larvis  
pugnat. 3. Vox Scientiæ sumitur vel in sensu Theologico vel in  
Philosophico. In illo accepta nequaquam fidei contradistingui-  
tur. In hoc concedimus fidem non esse *Intelligibilem*.

#### X.

In thesi cognitioni seu notitiae eliminata Ignorantiam sub-  
stituit, afferendo; Fidem melius per ignorantiam definiri.

R. 1. Huic assertioni reclamant divina Scripturæ oracula, quæ Fi-  
dei & in Abstracto vid. § 7. & in concreto scientiam tribuit vid. § 9.  
ad rationem 2. resp. 3. Addi possunt Eph. i. v. 17. 18. Col. i. v. 9. Gal. 4.  
v. 9. 2. Tim. i. v. 12. 1 Joh. 2 v. 13. 2. Fides per ignorantiam definita non  
est fides, sed fidei opposita Incredulitas Act. 17 v. 23. & 30 quæ in  
Scripturâ nominibus impositis exitium minatur. Dicitur enim  
tenebræ Esa. 9. v. 2. Matth. 4. v. 16. Luc. i. v. 79. Johan. i. v. 5. cæcitas.  
Rom. ii. v. 25. Eph. 4. v. 18. Insipientia, stultitia, Rom. 10, 19. Luc. 24,  
25. 3. Ita argumentamur. Adversarius suam in decisionis con-  
troversiis notitiam scientiamq; habet, vel ex fide, vel ex ratione.  
Non ex fide, quia est ignorantia, & scientiæ destituta, docente ad-  
versario. E. relinquitur quod habeat ex ratione. At ratio homi-  
nis est stulta & cæca. E. & is, qui rationem sequitur magistrum.

#### XI.

Profert Antagonistæ alias rationes I. i. de Just. c. 7. lit. D. Sed eas  
hic examinare supervacaneum foret, cum eo labore Nostrates du-  
dum fuerint defuncti. Quare ad secundam FIDEI Justificantis  
partem accessum facimus, quæ dicitur *συναπέδεια*, i. e. Judici-  
um approbans & assensus firmus, quo certa persuasione statui-

mus

nans omnia in S. codice patefacta, propter autorem Deum, verissima esse.

#### XII.

##### 3. Fiducia.

Tertia dicitur Fiducia seu πεποίθησις, & est fiducialis apprehensio misericordiae Dei per & propter Christi meritum, ita ut in generali promissione quisq; credentium se quoq; inclusum indubitat ac intrepidè statuat, & justitiam Christi sibi donari & imputari sine hæsitatione credat. hinc specialis Fides orthodoxis appellatur. εἰμὶ Φαπινωτέροις nominibus sacræ literæ eam exprimunt, ut dicatur αὐληροφορία Rom. 4. v. 21. Coloss. 2. v. 2. Hebr. 6. v. II. I. ὁσάστης & ἐλεγχός Hebr. II. v. I. παρέγγελται Hebr. 3. v. 6. I. Joh. 2. v. 28 πεποίθησις Rom. 8. v. 38 Eph. 3. v. 12. Exemplo est Paulus, qui ex plena fiducia in hæc crumpit verba: M i h i persuasum est neq; mortem, neq; vitam, neq; Angelos &c. & neq; ullam rem aliam conditam posse nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Rom. 8. v. 38. 39. & Gal. 2. v. 20. Vivo per fidem illam filii Dei, qui dilexit m e, & tradidit semetipsum pro m e.

#### XIII.

Contra hanc fiduciæ doctrinam consolationis plenissimam & in Verbo Dei fundatissimam conciliabulum Tridentinum horrendo Anathemate tonare atq; fulminare non pudet. Ita enim Sess. 6. Can. 12. stylum malè tornat & ornat. Si quis dixerit, fidem Justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinae misericordiae peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse quâ justificantur, anathema sit. Ut avicula errando, ut hirundo volitando; ita maledictio immerita non adventura est, inquit Salomon Prover. 26. v. 2. Non igitur nos Concilii sævus Tridens vulnerat, neq; nos concilii σμοψήρων Papicolarum Insultus, Irrisiones, objections & exceptiones movent, minus à veritate amovent. Producunt n. eas male feriati, partim αἰχάρως καὶ αἰνιγχάρως ex principiis Philosophicis, partim ἐγχάρως, sed ὡς αἰμαθεῖς καὶ αἰγχεικτοι γεαφίας πρεβλῆσσ. 2. Pet. 3. v. 16.

#### XIV.

**Causa Effec.  
Principalis.** Esto, Papana cohors fiduciæ ingenitam vim aduncō suspenderat naflo, Nos ὥδοιξις alumni eam maximi facimus, adeò ut jam

de

de ejus fonte ac origine investiganda solliciti simus. Verum sollicitudine hac sacra Pandectæ nos & solvunt. Docemur enim Fidei causam esse vel Principalem vel Instrumentalem. Principalis est Unus Deus, Pater, Filius & Spiritus sanctus, qui fidem in nobis super naturaliter primus & solus efficit. Phil.1.v.6. & 29. Matth.16,17.  
2.Cor.3.v.5. Phil.2. v.13. Johan 6.v.44. Matth.11.v.25. Johan 15.v.5.  
2.Cor.12. v.9. Gal.5. v.22. Auget & incrementa dat Marc.9.v.24.  
Luc.17.v.5. 2.Theffl.1. v.3. Perficit & consummat Phil.1. v.2. Theffl.1.  
v.11.

## XV.

Instrumentalis, per quam Deus ordinariè in hominum instrumentis fidem Christi accedit, est verbum Dei lectum, auditum, cogitatum & in puro corde conservatum. Joh.17.v.20. Rom.10.v.17.  
1 Cor.1 v.21. 1.Cor.3. v.5. Joh.4.v.41.42. Joh.6.v.45. Act.4.v.4.& 17.  
v.11.12. Ordinariè dico, quia divina Majestas mediis se non semper adstringit. Fidem enim sine externo verbi præconio quandoq; generat, sed extra ordinariè, ut in Abrahamo Gen.12. v.1. Hebr.11.  
v.8. & Paulo Act.9.v.6. 1.Tim.1.v.13.

## XVI.

Non igitur levi, sed longissimo flexu à veritate aberrant Pelagiani & Semipalagiani, qui arbitrii nostri (heu ! perditi) viribus fidei initium tribuunt.

## XVII.

Sciscitantes, cur Deus non omnibus largiatur fidem? id responsi ferunto. Absolutum Dei decretum fidei defectum haud quaquam importat. Ipse enim pro immensâ suâ φιλαθεωπίᾳ vult omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. 1.Tim.'2.  
v.4. Penes quem igitur residet culpa? Homines Spiritui S resistunt  
Act.7.v.51. ut vel amore hujus mundi fascinati ament tenebras magis, quam lucem Joh.3.v.19. vel diabolicâ fraude decepti patiuntur,  
ut Deus hujus seculi eorum mentes excæctet, ne fulgeat illis illuminatio Evangelii 2.Cor.4. v.4.

## XVIII.

Fidei divinitus datae forma ac anima est ληψις ἡ κατάληψις, Forma  
ut credens Christum cum omnibus beneficiis in verbo Evangelii  
oblatis fiducialiter apprehendat, hoc est, sibi esse remissa peccata,

B

Deum

Deum patrem reconciliatum, salutem & vitam æternam se consecutum, non ob suam dignitatem, quæ nulla est, sed Christum, qui est agnus tollens peccata mundi Joh. i. v.29. factus nobis à Deo justitia & redemptio i. Cor. i. v.30. firma persuasione in animo statuat, & in eo acquiescat. At κατάληψιν à Stoicis nos mutuari cavarialis, vir Pontificie? Næ, parcis veritati. Scriptura enim nos ita loquijubet Joh.i.v.5. Col.2.v.2,6. Joh.17. v.8. Rom.5. v.11. 17. Gal. 3. v.14. Hebr. 9. v. 15. Alium hūc fovent errorem Papistæ, statuentes, charitatem esse fidei formam, de quo infrà suo loco videbimus.

### XIX.

**Finis.** Finis fidei est vel Primarius vel Secundarius. Primarius est gloria Dei Rom.4. v.20. Eph.1. v. 12. 2. Thess.1. v.10, 11, 12 Secundarius est vel Internus vel Externus. Internus, apprehendere fiducialiter. Externus, Salus æterna. Heb.10.v.39. 1. Pet.1. v.9. Johan.20. v.31.

### XX.

**Effectus.** Non solum bona futura, sed & præsentia, ut ὁ εγγενές ληπτικόν, Fides salvifica complectitur, quippè, quod plurimi illi tribuantur effectus, Remissio peccatorum Actor.10. v 43. Justificatio Roman. 10. v.4. ψοφία Joh.1 v.12. tranquillitas conscientiae Rom. 5. v.1. liberatio à damnatione legis Rom. 8. v.1. &c. Vid. D. Gerhard, tom.3. de Justif. § 71. p.771.

### XXI.

**SUBIECTVM.** Ut sit maximè salutaris fides, nemo tamen, nisi cuius in animo sedem fixit, ejus dulcedinem degustat, aut bonitatem percipit. Recto itaq; pede in subjecti cognitionem descendimus. Subjectum Fidei est geminum, in quo & circa quod. In quo est vel Denominationis vel Inhæsionis.

### XXII.

Denominationis Subjectum non est Diabolus. Is quidem naturali intellectus acumine novit Deum creatorem, Christum humani generis redemptorem, imò sacri voluminis contenta Matt.4. v. 6. Ast, se Deo esse gratum acceptumq; ob Christi sanguinem, non credit, potius generalis ejus notitia, quæ partem fidei esse constat, tremore & honore est permista, dicente Jacobo c. 2. v. 19. &c

& comprobante ipsomet ~~annis~~ Marc. 5. v. 23, 24. Paucis. historicè  
eredit, non salvificè.

## XXIII.

Misso peregrino, proprium ac genuinum Fidei subjectum est  
Homo Salvandus. Propter hominem enim Christus est homo fa-  
ctus, & redemptionis pretium persolvit. Homo itaq; sui redem-  
toris meritum fiducialiter apprehendere debet.

## XXIV.

Percontamur hic: An omnes homines habeant salvificam fi-  
dem? Neminem adeò delirum repertum iri, qui affirmativam tueri  
ausit, autumamus. Unius meminit Rhetorii Dn. Chem. b. m. in  
Loc. Theol. part. 2 de Just. qui priscis temporibus fuit ejus senten-  
tiae, vel potius dementiae, ut effutiret, omnes sectas rectè ambula-  
re & salvari. Sed non luxit huic clara verbi divini fax. Docet enim  
Apostolus 2. Thess. 3. v. 2. Non omnium esse fidem, Idem ex repro-  
borum & electorum discrimine evidens est. Ad infidelium autem  
classem referuntur Adversarii Evangelii, hæretici. Illi, in quibus  
peccatum regnat, Hypocritæ, & ejus farinæ socii. Deum enim con-  
fidentur, sed factis abnegant Tit. 1. v. 16. spiritumq; regenerationis  
excutiunt, & ex Christi ovibus non sunt. Joh. 10. v. 26.

## XXV.

Homines sunt vel Infantes vel Adulti. Infantes fidei capaces  
esse fanatici pro nugis ac gerris sicutilis habent, etiam cum ipsis gra-  
vissima rationum momenta è Scripturis congesta opponimus.  
Qualia sunt I. Christi diserta attestatio. Matth. 18. v. 6. II. Cœlestis  
gaudii fruitio Marc. 10. v. 13. Matth. 19. v. 14. Sine fide autem impos-  
sibile est placere Deo Heb. 11. v. 6. & solus credens salvabitur Marc.  
16. v. 16. Joh. 3. v. 58. III. Justificatio & regeneratio Joh 3. v. 5. Atqui  
Justus suâ fide vivit Hab. 2. v. 4. Rom. 1. v. 17. IV. Sanctificatio, quæ  
contigit Abiæ filio infanti 1. Reg. 14. v. 15. Jeremiz. Jer. 1. v. 5. Baptistæ  
Luc. 1. v. 15. & 80.

## XXVI.

De Adultis quæritur: Num ἀλιγόποιοι habeant salvificam  
fidem? Affirmativa vera est. Nam justificat fides non absolute &  
meritorie, quod sit virtus firma, robusta & perfecta, sed relatè pro-  
pter objectum Christum J E S U M , quem in promissione gratiæ ap-

prehendit. Quando igitur fides in objecto non errat, sed verum illud objectum, quamvis languida fide apprehendit, vel saltem conatur & expetit apprehendere, tunc vera est fides & justificatur. Linum euim fumigans &c Ela. 42. v. 3. & virtus in infirmitate perficitur. 2. Cor. 12. v. 9.

### XXVII.

An Homines antè Christum fide in ipsius meritum fuerint justificati? Photiniani meritum Christi pro nugatoria fabulâ (horro referens) habentes quæsitum protervè negantur. Posito enim uno inconveniente, infinita impiè accumulantur. Nos orthodoxis affirmantibus album adjicimus calculum, moti sequentib. fundamentis i. Analogiâ Fidei. Aut n. justificati fuerunt fide aut operib. At non operib. Rom. 3. v. 20. 28. c. 4. v. 5. 6. 13. Gal. 3 v. ii E. fide Act 10. v. 43. Roman. 3. v. 24. 25. Heb. 10. v. 4. Rom. 1. v. 17. 2. Ex Catalogo Epistolæ ad Hebræos cap. ii. Qui fide dicit justificatos esse patres, Abrahamum, Henochum &c. Quod verò illa fides fuerit in Christum, inde appareat, quia sacrificiorum expiationi fuit innixa & operibus opponitur. Vide Chemnit. Loc. Th. p 2. de Just. ubi prolixè & nervosissimè docet eandem semper fuisse apud omnes sanctos in Ecclesia doctrinam & fidem, de Justitia coram Deo & salute æterna. Adde Stegm. in Photin. d. 32.

### XXVIII.

An Incredulus ad fidem externavi cogi possit & debeatur? R. Non posse, quia fides consistit in Intellectu & Voluntate, resipientibus, adigi credere id, quod credere nolunt; ut pro vero habeant quod falsum esse cognoscunt, & externæ violentiæ aut compulsionis expertibus, ut licet domicilium suum corpus cruciatibus torqueatur, ipsa tamen immutata permaneant. Sicut exempla martyrum perspicuè docentur. Sanè, non diffitemur, quām plurimos vellautioris vitæ pollicitis, vel poenarum nimis peregrinam religionem capessere. At hi non raro sunt hypocritæ, flagitiæ, ὁμολογæ, ac ignari, quos lux Evangelii nunquam irradiavit. 2. Nec debere, quia ejus rei nullum in Scripturâ extat mandatum, nullumq; exemplum. Contrarium certè inibi legitimus, 2. Cor. 1. v. 24. Inquit Apostolus: Nequaquam dominatores vestræ fidei sumus,

570

fumus. Cui affine est illud Imperatoris Maximiliani II. effratum.  
Nulla est tyrannis intolerabilior, quam conscientiis dominari  
velle.

### XXIX.

Subiectum circa quod, seu Objectum, propter diversas fidei *Objectum*.  
partes diversum est. Recte enim monet illud σο·χεῖν Theologi-  
cum. Quædam de fide dicuntur magis respectu notitiae, quædam  
magis ratione fiduciae.

### XXX.

Respectu notitiae fides occupatur circa Articulos fidei seu S.  
Scripturæ dogmata. Rom. 10. v. 8. Joh. 5. v. 47. Joh 2. v. 22. Non in  
frugiferum est observare, haud omnia in Scripturâ propofita, pro  
articulis fidei esse habenda. Illa enim per se pertinent ad fidem,  
quorum visione in Vitâ æternâ perfuerimus, & per quæ ducimur  
ad vitam æternam, ut docet Thom. 2. q. 1. art. 8. At hæ conditio-  
nes aliquibus in Scriptura non insunt. Quare, ne cum Jesuitis  
quibusdam insultè dicamus esse articulum fidei, quod canis To-  
biæ caudam moverit, distinguenda sunt directè ad fidem perti-  
nentia, ab iis, quæ reductivè. Quæ directè, ea sunt de ratione & ef-  
fentiâ fidei. Quæ per reductionem, ea sunt fidei adjuncta vel ne-  
cessaria vel contingentia. Illius ordinis præcipue sunt Articu-  
li Symboli Apostolici, ex ipsis Evangelii visceribus prognati &  
in unum corpus coaptati. Hujus verò, sunt ritus vel ceremo-  
niae Ecclesiasticae, Historiae, & alia; hâc tamen cum differentiâ, ut  
horum quædam principaliter, quædam verò minus principaliter  
reducantur. Priorum ignoratio animabus æternum exitium af-  
fert, Posteriorum inicitia neminem damnat, malitiosa verò & per-  
tinax negatio minimè est licita. In Epistolâ ad Hebr. 11 v. 1, 7. obje-  
cta fidei esse Invisibilia leguntur, hinc Paulus 2. Cor. 5. v. 7 fidem vi-  
sioni opponit & Christus dieit Joh 20. v. 29. Beati qui non viderunt  
& crediderunt. Ex his scrupulus injicitur, quî rei non apparentis  
cognitio esse queat? Sed facilis is est exemptu. Τὰ μὴ βλέπειν  
cognosci queunt, notitiâ certitudinis, non evidentiæ. 2. Sciuntur  
γνῶσθαις, non ἐπιγνονικῶς. 3. Theologicè, non Philosophicè.  
Non

Non enim quæ lumine naturalis intellectus non percipiuntur, plānè ignorantur, cum aliud sit principium extra nos, inscitiaz natura-  
lis rubiginem abstergens, nempe divina revelatio Joh. i. v.18.

XXXI.

Romanenses monstrum fidei alunt, quando eam ratione no-  
titiæ & assensus pariter ad traditiones humanas, vel ut illi ad deci-  
piendum mollius loquuntur, traditiones, tanquam vel oretenus à Chri-  
sto, vel à Spiritu S. dictatas & continuâ successione in Catholica Ecclesiâ con-  
servatas extendunt, & pari pietatis affectu ac reverentia suscipiendas ac ve-  
nerandas esse rigidè docent. Concil. Trid. dec. i. Sess. 4.

XXXII.

Respectu fiducia Fides justificans pro objecto proprio & ad-  
equato habet gratiam ac misericordiam Dei propter Christum  
mediatorem, ut clarè evincunt loca Rom. 3. v. 24. 25 Rom. 4. v. 24. 25.  
Rom. 10. v. 4. 9. Actor. 10. v. 43. Idem pluribus statuminare firma-  
mentis studium brevitatis prohibet.

XXXIII.

Ut hoc objectum cum adjuncto occupato, h. e. specialem  
Dei misericordiam fiduciâ apprehensam, tanquam divinis literis  
contrariam explodat, valdè desudat Bellarminus I. i. de Just. cap 8.  
& seqq. Sed ut contra veritatem nititur, ita haec tenus à veritatis  
propugnatoribus, copiosissimis & sufficientissimis argumentis est  
refutatus, & ab iis demonstratum. Quod firmet fragili Robertus  
robore dicta.

XXXIV.

Numquid vero Adversarius, dum saluberrimam hanc animæ  
dapem nobis eripere conatur, meliores lauitias substituit ac red-  
dit? Ita existimat: Nostrâ enim de Objecto fidei salvificæ senten-  
tiâ repudiata, saniorem (si Diis placet) adducit, videlicet, Fidei Ju-  
stificantis objectum esse omnia, quæ Deus revelavit, non vero spe-  
cialem misericordiam. loc. sup. citato. Pol, est hæc insipida &  
incondita sententia, in papali cylinâ cocta, cui amoliendæ ita re-  
spondemus: Ab Inclusiva ad Exclusivam argumentari ἀλογον est.  
Evidem fidem justificantem præsupponere & includere, cùm hi-  
storicam seu dogmaticam notitiam eorum, quæ Deus revelavit,

tūm

tum assensionem, qua divinitus revelata vera esse inhæsitanter sta-  
tuimus, ambabus largimur matibus. His namq; ex animo Chri-  
stiani sublatis, fiducia divinæ misericordiæ propter Christum la-  
befactetur & corruat necesse est. Generali autem γνῶσθε αὐγα-  
τῆσσι fidei Justificantem solummodo inhætere, est quod tonis  
viribus inficiamus.

## XXXV.

Ut autem placitis suis autoritatem & fidem conciliet Cardi-  
nalis, in Scriptura, traditione Ecclesiastica & ratione subsidium &  
auxilium anxiè conquirit. Non vacat sigillatim quævis ad verita-  
tis normam exigere. Quare generatim dico: In exemplis ab eo  
ex Scriptura adductis male confundi distinguenda. Nam vera fi-  
des interdum etiam circa corporalia beneficia certa quædam ra-  
tione versatur, ut plurima Evangelicæ historiæ Exempla, & cap. II.  
Heb. Iuculenter comprobant: Sed hactenus non justificat, quia  
infinitis inter se distant parasangis bona corporalia & æterna sa-  
lus: &c tamen hæc ipsa fides, quæ petit à Deo corporalia beneficia  
fundata est in speciali misericordia Dei propter Christum. Nisi  
enim fides prius inconcussè & firmiter statuat Deum esse pla-  
catum, non potest tranquillâ conscientiâ peti & expectari auxilium.  
Ratio est in promtu. Quia homo calamitatum procellis jactatus,  
statim de peccatorum multitudine magnitudineq; & irâ Dei jure  
attractâ cogitat, hinc conscientiæ morsus, dolor, lacrymæ & in-  
quietudo. At omnia hæc unâ fiduciæ aurâ, quæ peccatorum næ-  
vos pallio meriti Christi esse tectos, iram Dei deferuisse, & gra-  
tiam restitutam masculè statuit, dissipantur atq; dissipantur. Hæc  
fidei γνῶσθε ceu basi præsuppositâ, in cruce & afflictionibus se-  
se ulterius exerit ac exercet fides, dum placidè & patienter expe-  
tit atque expectat mitigationem, corroborationem & denique li-  
berationem.

## XXXIV.

Hactenus recensita ad exemplum applicabimus, quod pro  
obtinendâ contrariâ sententiâ Jesuita primò omnium objecit  
hoc modo: Matth. 9. Dominus cœcus perentibus lumen: Creditus inquit,  
quia hoc possum facere vobis? Illi respondentibus, utiq; Domine, ait: secun-  
dum

dum fidem vestram sias vobis. Quo loco Dominus fidem omnipotentiae, ac per  
hanc divinitatis suæ, non misericordia specialis exigit. Resp i Fidem Justi-  
ficantem duplicitate considerati posse, vel in proprio actu & officio,  
vel in vario usu & exercitio. Non priorem, sed posteriorem sen-  
sum citatus locus admittit. Postquam enim duo cæci fide justifi-  
ciam Christi seu proprium objectum apprehenderant (Deus enim  
non exaudit peccatores Joh. 9. v.31. Sed oratio eorum est abomi-  
natione) convertunt se eadem fide ad alia objecta, ut omnipoten-  
tiam Christi, & miserrimæ cætitatis liberationem. Quare objec-  
tio nos non ferit. Loquitur enim de fide extra actum Justifica-  
tionis, κενόμυον de eadem in actu Justificationis consideratā.  
2. Fides bonis corporalibus tantum satiata non justificat. Nus-  
piam enim Scriptura quemquam corporaliter divitem, protinus  
justum ac vitæ æternæ hæredem pronunciat. Atqui duo cæci vi-  
sionis facultatem petunt & se accepturos credunt. An itaq; cum  
Bellarmino, hic de fide Justificante agi, concludendum? Minime  
omnium. 3. Fallaciâ oppositorum nobis glaucoma objicere argu-  
tè contendit Sopista. Nam omnipotentiam & divinitatem, miser-  
icordia speciali opponit, cum tamen revera non sint opposita,  
sed subordinata. Utrumq; enim complectitur fides, & Christi di-  
vinitatem, omnipotentiam cæteraque attributa, & ejus misericor-  
diam, mansuetudinem atq; salvificum meritum.

### XXXVII.

Iterum Adversarii blaterant, nos fingere fidem partialem,  
quæ non sit Catholica. Ad quomodo id probant? Quia, ajunt,  
reliquis articulis & universo verbo Dei veram fidem (Lutherani  
scilicet) subtrahunt, restringunt autem tantum ad unicum illud  
membrum de Christo mediatore. Ut hos calumniæ ictus decli-  
nemus, Ullbonem prætendimus veritatem. Testantur nostratum  
Theologorum scripta, Universo verbo Dei debere à singulis Chri-  
stianis fidem indubitatam adhiberi. Quando vero quæstio est,  
quidnam in omni verbo Dei sit, quod fides justificans ita intuea-  
tur, ut in eo querat, apprehendat, accipiat reconciliationem cum  
Deo, remissionem peccatorum, adoptionem & vitam æternam,  
tunc ex Scriptura liquido afferatur, istud unicè esse gratuitam  
misericordiam.

572

misericordiam Dei propter Christum mediatorem. Sicut enim summa & scopus totius scripturæ est Christus Mediator Psalm. 40. v. 8. Luc. 24. v. 27. & 44. Rom. 10. v. 4. Joh. 1. v. 46. Heb. 10. v. 7 Ita fides cum universo verbo Dei assentitur, omnes alios articulos fiduci referit ad specialem misericordiam Dei in Christo fundatam.

### XXXVIII.

Fides itaq; specialis misericordiæ divinæ Christi sanguine par. **A DIVN-**  
**EX** in ore ac corde omnium fidelium Christianorum adversus **CTA.**  
ignita tela diaboli & malitiosorum hominum argutias immotè i. **Duratio.**  
durat & durabit. Duratio hæc explicanda venit in thesi & hypo-  
thesi. In Thesi docet Paulus i. Cor. 13. v. 13. Nunc, i. e. in hac vita,  
manere fidem, at postmodum in vita sequenti abolitum iri. v. 12.  
Ast hoc cum grano salis est accipiendum, & adhibenda distinctio  
Scholasticorum, inter habitum & actum fidei. Actus fidei ratione  
apprehensionis promissionis Evangelicæ de remissione peccato-  
rum removebitur. At habitus notitiæ & fiduciæ in divina gratiâ  
recumbentis non delebitur, sed ad perfectionem promotebitur.  
His astipulatur ipse Paulus v. 10, 11, 12.

### XXXIX.

In hypothesi. Q. An in Renatis fides salvifica perduret, an **2. Amisit.**  
verò ipsi eandem per mortalia peccata excutiant? Pro negativa di-  
micant Calviniani. Calv. in antid. Concilii ad Can. 28. Sess. 6. Bez.  
in Coll. Mompelg. p. 380. Trelecatius l. 3. instit. loco de fide. Sed  
affirmativam Scriptura sufficientibus testimoniis suadet. Inter  
plurima hæc habeto Röm. 11. v. 20. seq. i. Tim. 1. v. 5. 6. & 19. Item 4.  
v. 3. Exemplis Alexandri i. Tim. 1. v. 19. Hymenæi & Phileti 2. Tim. 2.  
v. 17. Demæ 2. Tim. 4. v. 10.

### XL.

Quod apprimè necessaria sit Fides, πολυλογίας non indiget. **3. Neceſſi-**  
Est enim infallibiliter verum, nos Christi justitiâ justos esse. Jer. 23. **tas.**  
v. 6. Esa. 53. v. 11. i. Cor. 1. v. 30. Hæc autem nisi apprehensa & appli-  
cata minimè prodesse potest: Apprehensio vero fit per fidem. Fi-  
des enim est unicum medium & organon, quâ justitiam Christi  
accipimus, disertè docente Paulo in suis ad Roman. & Galat. epi-  
stolis.

### C

### XLI.

XLII.

Pugnantia.  
1. Dubita-  
tio.

Cum vera fide pugnat dubitatio de speciali applicatione ad singulos credentes, An qui credit sit in gratia apud Deum, an beneficiorum Christi sit particeps. Talis enim titubatio à fidei natura est alienissima, alioquin fides non verè diceretur & esset ~~πάσχα~~. Heb. ii. v. 1. ~~τολμεῖ Φορέα~~ Rom. 4, 22. ~~ταξιδία καὶ περισταγὴν~~ ἐπεποιήσα~~ς~~ Ephes. 3. v. 12. Verum est, in hac carnis infirmitate nunquam non dubitationes & trepidationes piis cruce pressis suboriri; ex eo autem velle colligere, hominem seriò pœnitentem promissiones gratiae de peccatorum remissione, ob imputatum Christi meritum, sibi tam firmiter applicare, veraq; fide sic apprehendere haudquaquam posse ac debere, ut certitudine fidei credat, sibi peccata omnia esse remissa, & se iterum cum Deo rediisse in gratiam, grandissimo errore non caret.

XLIII.

2. Ratio.

Fidei Salvificæ etiam repugnat Ratio labe originali vitiata & corrupta. Nam in Dei sapientia mundus non cognovit Deum per sapientiam 1. Cor. i v. 21. mysteria fidei pro stultitia habet 1. Cor. x. v. 14. & Paulus ait v. 7. ejusdem capituli: Loquimur sapientiam Dei in mysterio occultam illam, quam præ fieri erat Deus ante secula ad gloriam nostram v. 8. quam nemo principum hujus seculi cognovit. Eph. 4 v. 17. tenebris obscuratam mentem habent. Conci- liet hæc Smalcius cum suâ, in Præfat. contra D. Frantz. battologiam, qua negat S. Scripturam contra rationem seu sapientiam humana quicquam continere. Quando vero ratio per gratiam Spiritus S. discussis ignorantiae tenebris, Scripturæ luce illuminatur & fide imbuitur, illicò divinis mysteriis relucenti cessat. Tum enim ancillæ habitum induit, quo dominæ Theologiæ se submittere & postponere apprimè novit. In hoc statu permanens non est otiosa, sed Theologiæ utilissimam præstat operam. Quare præter æquum meticulosiores sunt illi, qui rationem seu Philosophiam terrorio Theologico placere excludunt, metuentes, ne sacra profanis misceantur. Neq; tamen stamus à partibus eorum quibus pudor aut religio non est, mysteria ~~ταῦτα~~, ~~ταῦτα λόγον καὶ ταῦτα πνευματικά ληψι~~; evecta, principiis naturalibus & axiomatibus Philo-

Iosophicis metiri, ut iis repugnantia repudient, convenientia acceptent. Photinianis pestilentissimæ sectæ id imprimis usitatum est. Unde Socinus de aut. Scripturæ c. 2. p. 24 *Nullo modo verum esse potest, cui ratio prorsus communisq; sensus repugnat.* Eodem crimen se condemnat stylus Sadeeliteus, qui veram Christi humanitatem ex principiis Philosophicis delineat. Nos Philosophiæ famulatum, Theologiæ dominatum attribuimus, quo pacto inter utramque optimè convenit, nec ulla oritur discordantia.

## XLIV.

Hic fixo pede, fidei justificantis ingenium uberemq; fructum ulterius discutere desistimus. At obstrepit illud. Eheu! quam pin-gui macer est mihi taurus in arvo. Ita est, poterat hæc ardua & insig-nis materia pro dignitate prolixius tractari; Sed factitatum id est à nostris Theologis diligentissimè. Nunc quo nos ordo dicit, in spei amplexum ruimus, paucis visuri, qua sit indole nata, quibus ac quantis fateat affluatq; commodis.

## XLV.

Christianas inter Gratias secundum obtinet locum SPES, DE SPE.  
quam Divus Chrysostomus indigitavit catenam auream è cœlo demissam, quam apprehendentes, in cœlum subvehuntur. Hujus catenæ ansulas ipse Spiritus sanctus eudit, & omnibus crucianis, ceu sacrum donarium, reliquit in epistolâ Paulinâ Rom. 5. ad hanc faciem. Gloriamur sub spe gloriæ Dei v. 2. Neq; id solum, sed etiam gloriamur de afflictionibus, scientes, quod afflictio toleratiæ efficiat. v. 3. Tolerantia verò experientiam, experientia autem spem v. 4. Porro Spes non pudefacit v. 5. Sola hæc spem nobis commendare poterant, attamen, ubi de verâ ejus naturâ & proprietatibus constabit, multò erit amabilior.

## XLVI.

Quare in vestibulo, cum definitio dicat quid res sit, ad definitionem nos accingimus, primò ad eam, quæ nomen indagat. Est autem vox Spei æquivoca, sumitur enim vel Impropriæ vel Propriæ. Impropriæ. 1. Per metonymiam, effecti, vel adjuncti. Effecti, pro fide. 2. Reg. 18. v. 5. Psal. 7. v. 2. Adjuncti, pro bonis Speratis. Esa. 28. v. 15. pro eo, in quem speratur. Psal. 65. v. 6, II. per Synec-

C 2

Definitio  
nominalis.

dochæ

dochen partis, pro tota pietate Eph. i. v. 18. Propriè, pro animi mo-  
tu aut affectu durabili, quo aliqua bona expectamus, ut hoc in  
loco.

XLVII.

*Realis.*

Spes, est virtus à Spiritu sancto in nobis excitata, quâ futura  
Dei beneficia, imprimis salutem per Christum inchoatam & fide  
perceptam, omniumq; hujus vitæ calamitatum amolitionem,  
propter gratuitam Dei promissionem & satisfactionem Christi,  
constantí animo expectamus.

XLIX.

*Efficiens.*

Spei autor & efficiens est Solus Deus. Hinc Deus Spei di-  
citur Rom. 15. v. 13. & nos regenerare in Spem vivam. I. Petr. 1. v. 3.  
Procreans est fides, quæ dicitur hypostasis rerum Sperandarum  
Heb. 11. v 1. Instrumentalis, experientia Rom. 5. v 4.

XLIX.

*Finis.*

Speramus verò in hunc finem, principaliter, ut Deus glorifi-  
cetur: Dein, ut salutem æternam consequamur, hinc dicitur Spes,  
salutis galea I. Thess. 5. v. 8. & Tit. 2. v. 13. Expectantes beatam illam  
Spem & illustrem illum adventum gloriæ magni illius Dei & Se-  
vatoris nostri Jesu Christi.

L.

*Effectum.*

Effectum Spei est, ut homo de futurorum bonorum conse-  
cutione sit certus & quietus, nec adversis, quantumvis difficillimis,  
animum despondeat, sed gaudium in mediis afflictionibus sentiat.  
Rom. 12. v. 12. ut acerius ac alacrius Christianismi curriculum absolv-  
ere, Deus ac proximum debito amore prosequi perga-

LII.

*Subjectum.*

Subjectum Spei Christianæ est, in quo, vel circa quod. In  
quo, vel mediatum vel immediatum. Mediatum, sunt homines  
pii à Christo nomen habentes. Spe itaq; Christiani ab Epicuræis  
& Ethnicis plurimum differunt. Habent enim Christiani in af-  
flictionibus & tristitiis certissimum liberatorem, cui totos se com-  
mittant, consilium auxiliumq; expectent & cum divino Psalmista  
confidenter dicant. JEHOVA Petra mea & propignaculum  
meum, & liberator meus; Deus fortis meus, rupes mea, ad quem  
me

574

me riperiam; clypeus meus & cornu salutis meæ, editus locus meus. Psal. 18. v. 3. Ethnici verò, qui ærumnas vel casu vel ex materiae contagiis immitti opinantur, etiamsi lumine naturæ ad D E U M autorem se aliquando elevent, illicò tamen horrendis dubitationibus consternantur, ad statuas spe auxilii cursitant, sed frustrantur, tandem hac terribili voce exclamant; Vitaq; cum gemitu fugit indignata sub umbras.

### LIII.

Quæritur. An defuncti quoad animas in cœlum translati spem adhuc aliquam habeant? Rx. Habere eos spem reliquam certum est Apoc. 6. v. 9, 10, 11. licet non talem, qualem nos. Nam nostram per sæpè gemitus ac tristitia comitantur, à quibus illi sunt remotissimi. Nostra ex fide tanquam imperfecta & obscura matre 1. Cor. 13. v. 12. nascitur. Illi vero à facie ad faciem D E U M vident, uti est. 1. Johan. 3. v. 2. Illorum Spes sic dicitur in sensu lato & proprio. Propriè enim dicta Spes in æternâ felicitate erit abolita. Vid. Rom. 8. v. 24.

### LIV.

Immediatum est cor seu voluntas. An igitur certitudo intellectus excluditur? Bellarminus id pro incerto ac dubio non habet, qui scribit 1.3. de Just. cap. II. Quod attinet ad Spem; fatemur eam quoq; esse debere certissimam, sed in suo genere. Alia enim fidei; alia Spei certitudo est. Duplex igitur in Spe certitudo considerari potest. Una ex parte voluntatis, Altera ex parte intellectus. Ex parte voluntatis certitudo Spei est firma ad hæc voluntatis ad rem speratam, & hæc maxima esse potest, et si ex parte intellectus non sit homo certus se rem ipsam consecuturum. Imo videtur Spes non solum non exigere, sed nec ferre posse ex parte intellectus certitudinem absolutam. Rx. Spes firma, & quæ non confundit, nunquam est absque scientia & intellectus certitudine. Non enim in dubitato animo speratur, nisi intellectus de futuris bonis, propter Christum consequendis, certi quid sciat ac credat. Sic Abraham contra Spem sub Spe credidit, an ignorantे intellectu? Non. Plenè persuasum habuit, quod quicquid promisit ei Deus potens esset perficere Rom. 4. v. 18, 21. Instas! Quod certo scimus nos habituros, non proprie speramus, sed simpliciter expectamus. Rx. Inter sperare & exspectare.

pectare hoc in sensu discriminem non ponit Scriptura, sed unum per alterum explicat, ut Rom. 8. v. 25. Si autem quod non videmus. Speramus, id per patientiam expectamus. Proverb. 10. v. 28. Spes justorum est lætitia, expectatio vero improborum perit, Psalm. 27. v. 14. Expecta Jehovahm, confirmare, & fortificabit animum tuum; Itaque expecta Jehovahm. Astipulantur Scholastici, qui Spem definiunt, quod sit certa expectatio boni futuri.

L V.

**Objectum.** Subjectum circa quod, est Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus. Psalm. 27. v. 14. Psalm. 130. v. 7. Psalm. 42. v. 12. & 43. v. 5. objecti nomine simul comprehendimus beneficia a Deo promissa, ad hanc & sequentem vitam proficia. Sic Rom. 4. v. 18. Abrahamus contra Spem sub Spe credidit &c. Hab. 2. v. 3. si cunctabitur exspecta eam, nam omnino eventura est, & non tardabit. Act. 23. v. 6. & 24. v. 65. Spes ad resurrectionem mortuorum dirigitur; ad salutem i. Thess. 5. v. 8. vitam æternam. Tit. 3. v. 7.

L VI.

Præter DEUM summum alterius, in quod Spes nostra ferri debeat, objecti Scriptura non meminit. Quare contra Scripturam & blasphemè hæc eructat verba Bellarminus lib. 1. de bon. operibus. in part. cap. 15. Neq; Spes in auctore solum boni reponi debet, sed etiam in intercessoribus & ministris.

L VII.

**Adjuncta.** Christianæ Spei adjuncta propria & necessaria sunt. Perseverantia finalis, sobrietas & omnium vitiorum, quæ Spem enervant & impediunt, abjectio; juxta divinum Petri effatum. Quapropter succincti lumbis mentis vestræ sobrii ad finem usq; sperate in eam, quæ vobis defertur gratiam, quum revelabitur Jesus Christus i. Pet. 1. v. 13.

L IX.

Nec minus firmitas & certitudo spem decorant atq; efformant, non tantum objectivè, quoad misericordissimam Dei potentiam, & potentissimam misericordiam, quæ homini ad felicitatem secularem & æternam semper sunt promta, verum & subjectivè, ut cor seu voluntas hominis in spe non vacillet, sed omnia a divinâ

575

divinā bonitate, tanquam certissimè ventura, patienti & constanti animo expectet. Hinc dicitur Anchora animæ tuta ac firma. Heb. 6. v.19.

### LIX.

Fides & Spes, licet sibi sint maximè affines, manent tamen *Differentes*, distinctæ virtutes. Differunt enim i. Origine. Fides ex se gignit spem, generosam filiam, quæ perpetuò & indivulsè ab uberibus matris suæ pendet, & nutrimentum attrahit. 2. Effectu. Fides propriè apprehendit Christum, ad thronum gratiæ intrat, solaq; cum Deo agit, & nos cum ipso reconciliat, ac omnino omnia bona impetrat. Spes vero illa impetrata bona expectare & flagitare pergit. 3. Objecto. Fides propriè præsentia bona complectitur, & in spe posita credenti repræsentatur: Spes futura & ventura com- moratur.

### LX.

Hinc constat Lutheranos Theologos convitiis Papistarum immerito vapulare, quasi confundant fidem & spem. At obtendunt; Lutheranos fidem definire per fiduciam, cum fiducia nihil aliud sit quam spes roborata, ut docet Bellarm. ex Thoma & Sene- cal. 5. de Just. c. 7. R. Etiam hæc injuria est. Dicimus fidem Justifi- cantem esse fiduciam: Insuper cum Scriptura afferimus Spei et- iam esse aliquam fiduciam Heb. 6. v. 11. salvis nihilominus & im- permixtis fidei ac Spei naturis. Nam duplex datur fiducia, alia fi-  
dei, alia spei, at cum hæc diversitate, Fidei tributa, dicitur univo- cè fiducia: Spei vero assignata, quia, tūm ex fide suum esse sortitur Heb. 11. v. 1. tūm, ceu fidei æmula, immota est & non confundit Rom. 5. v. 5. Analogicè fiducia appellatur. 2. Fiducia spei bona futura respicit & expectat, ut divinam defensionem, crucis mitiga- tionem vel liberationem & vitam æternam. Fidei fiducia, bona præsentia apprehendit, ut Justificationem, reconciliationem &c.

### LXI.

Recto ordine Fidem & Spem sequitur CHARITAS. Nam è DE CHARITATE, ut per fidem æternæ vitæ hereditatem propter Christum RITATE. nos esse assecuturos ccredimus, Spes eam animosè expectat; hinc Deum,

*oppositam. Desperatio  
est, cum expectatione ob-  
tinens futuram objecta  
tristitia vel mala futura  
intelligatur. m.*

Deum, ut vitæ cœlestis largitorem, & propter Deum, proximum nostrum amare incipimus 1. Joh. 4. v. 21.

LXII.

*Homony-  
mia.*

Vocem Charitatis Scriptura usurpat vel in Abstracto vel in Concreto. In Abstracto Deus dicitur Charitas 1. Johan. 4. v. 8. quia creaturam suam, præsertim hominem ardenti amore amplectitur, & veræ Charitatis autor & approbator existit. In concreto vel tropicè, vel propriè. Tropicè, per metonymiam causæ, pro beneficio ex charitate profuente, 1. Joh. 3. v. 1. Propriè, ut est virtus divinitùs infusa, quâ imprimis Deum ex toto corde, & ex toto animo & ex totis viribus, & alia, quæ ex voluntate divina diligenda sunt, ardenter & honestè propter Deum amplectimur atq; foveamus, quæ significatio est hujus loci.

LXIII.

*Efficiens.*

Charitatem in cordibus nostris efficit Deus primariò Deut. 30. v. 6. 1. Joh. 4. v. 7. Eph. 6. v. 23. Gal. 5. v. 22. Secundariò fides salvifica Gal. 5. v. 6. 1. Tim. 5. v. 8. Numquid vero fides à Charitate separari potest? Bellarm. l. i. de Inst. cap. 15. affirmat. Nos pro negativâ dicere Scriptura jubet. Galat. 5. v. 6. Jac. 2. v. 17, 26. 1. Johan. 2. v. 3. 1. Joh. 4. v. 8.

LXIV.

*Effecta.*

Effecta Charitatis numerantur plura, quam ut hoc adscribi possint, ea, velut in compendio legi possunt 1. Cor. 13. v. 4. & seqq. Quærimus Unicè. An Charitas informet fidem? Ineptum est hoc asserere, quia 1. forma fidei propria & specifica est fiducialis apprehensio Christi. 2. Fides est Evangelii, Charitas legis, quare, stante affirmativa, duo hæc confunduntur, quod est αγάπη λογον. 3. Charitas est effectum fidei Psal. 116. v. 10. 2. Cor. 4. v. 13. Gal. 5. v. 6. Edefendere quod sit forma, est αγάπη λογον.

LXV.

*Objectum.*

Charitas versatur vel erga creatorem vel erga creaturam. Creator ita amandus est, ut in eo nos oblectemus, lætemur & unicè acquiescamus, propterea quod ille sit suminum bonum. Ad hunc amorem homines æqualiter omnes obligantur. 1. Mandato divino Deut. 6. v. 5. Matth. 22. v. 23. Deut. 11. v. 1. 1. Tim. 1. v. 5. 2. Innumeris

meris beneficiis, quibus Divina Majestas nos affecit. Psalm. 31. v. 24.  
 Psal. 37. v. 4. Deut. 4. v. 10. & cap. 7. v. 9. 3. Exemplo Christi Johan. 14.  
 v. 31. & aliorum sanctorum. Deniq; 4. Multis aliis modis & ratio-  
 nibus, utpote, quod amor Dei sit ~~περιμήτης~~ Unionis nostræ cum  
 Deo 1. Joh. 4. v. 16. dilectionis Dei erga nos 1. Johan. 4. v. 19. & vitam  
 æternam, præmii loco, largiatur diligentibus 1. Cor. 2. v. 9. Heb. 11.  
 v. 26. Jac. 1. v. 12. cap. 2. v. 5. Creatoris nomine Includimus Imma-  
 nuelm nostrum Dominum JESUM CHRISTUM. Quem ut  
 debito amore prosequamur, ipse mandat Joh. 15. v. 9. & Paulus re-  
 fractarios anathemate damnat 1. Cor. 16. v. 22.

## L XVI.

Ut creatori ~~περίτως~~ ~~καὶ~~ αὐθέντως, ita creaturæ δευτέρως ~~καὶ~~ εύ-  
 θέντως amorem debemus. Illi propter seipsum, huic propter crea-  
 torem. Creaturam intelligo Angelos bonos & homines. Erga si  
 Angelos amor gerendus est, quia 1. nos diligunt, & ministerio suo  
 in vita Psal. 91. v. 11. & morte Luc. 16. v. 22. profundunt. E. ut recipro-  
 catio amoris à nostra parte sit firma, æquum est. 2. Gaudent super  
 uno peccatore resipiscente Luc. 15. v. 7. quo affectum suum erga  
 nos satis declarant, ut igitur eos redamemus fas est. 3. Sunt nostri  
 conservi Apoc. 19. v. 10. cap. 22. v. 9. 4. Reverentia ipsis debetur  
 1. Cor. 11. v. 10. quidni igitur amor?

## L XVII.

Homines diversa constituunt agmina, quoddam est amico-  
 rum, quoddam inimicorum. Amici vel nos ipsi sumus vel alii. Alle  
 nos ipsis diligamus, attendamus nobis ipsis, queramus & opere-  
 mur propriam salutem corporis, maximè verò animæ, naturæ lex  
 dictat, & præceptorum divinorum severitas imperat. Act. 20. v. 28.  
 Matth. 7. v. 22. 1. Tim. 4. v. 16. Phil. 2. v. 12. Sed cautione opus est, ne di-  
 ligendo id, quod intra nos, negligamus id, quod supra nos est.  
 Non enim ita seipsum quis diligere debet, ut superioribus, Deo &  
 magistratui reluctetur, & suæ voluntati morem gerat. Nam qui  
 amat animam suam, perdet eam. Joh. 12. v. 25. Alii amici sunt ex-  
 tra nos, quos pie, justè, honestè & constanter amare, iisq; benè vel-  
 le tenemur.

D

LXIX.

LXIX.

Erga inimicos Charitatem exercendam esse, præcipitur Matth. 5.v. 44 Rom. 12. v. 14, 20. Proverb. 25. v. 21, 22. Quod si hoc est verum, ut extra dubietatem est verissimum, nullus belligerationi relinquetur locus. Ab eâ enim exulat Charitas, regnat nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & sexcenta alia incommoda à Charitatis confortio remotissima. Sed distinguenda sunt virtus ab ipso bello in se considerato. In bello justo & legitimo Charitatis regulas non astringere, videre est ex mandatis divinis, variis in locis Veteris Testamenti expressis, ut Deut. 7. v. 2. Omnino internectioni de voveto eas, ne pangito cum eis fedus, ne gratiam facito eis. Idem praxis populi Israëlitici clarissimè demonstrat. Neq; etiam bella legitima cum charitate pugnant. Quando enim communis pax & tranquillitas turbatur, & non potest alia ratione in columitas Reipub. retineri vel restituiri, certe dilectio proximi postulat, ut turbatores compescantur, & pax reip. conservetur, sicut in necessitate violentia remedia adhibentur, ut in columitas corporis conservetur. Chemnit. l. th. p. 2. de vindicta.

LXIX.

**Adjunctum.** Charitatis adjunctum proprium est, ut sit sincera & perfecta Deut 6. v. 5 Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &c. At infirmitas carnis nostræ eam perfectionem non assequitur. Nemo enim renatorum gloriari potest, se juxta modum præscriptum diligere. Neq; uno actu perfectè acquiritur, sed ejus semina Spiritus sanctus in fidelibus spargit, quæ paulatim, ejusdem Spiritus gratiâ, incrementa capiunt. Phil. 1. v. 9. Largitur quidem hoc Bellarminus, sed ut majus nobis rursus eripiat. Nos fatemur, inquit, dilectionem in hac vitâ imperfectam esse, quia potest crescere, & quia major erit in patria: tamen non posse esse etiam tam perfectam, ut præcepto adimplendo sufficiat, omnino negamus. l. 4. de Just. cap. II. Communis est error Pontificiorum de perfectione Charitatis dudum à nostris rotusus & refutatus. Quare huic amplius ita motari non lumen.

LXX.

## LXX.

Fidem à Charitate differre ex ante dictis eluceat. **Paulus Differens**  
 adjicit 1. Cor. 13. v. 13. Charitatem fide esse majorem. Anne igitur *tia.*  
 ex mente Papistarum Charitas magis justificat, quam fides? Ne-  
 quaque. Charitas major est fide, non resp. justificationis, sed i.  
 ratione durationis, quoniam fides, quæ enigmaticam & partiale  
 adfert cognitionem 1 Cor. 13. v. 10. In vita altera, velut perfectiore  
 statu, non reperietur. Sed Charitas, etiam intensior, prout nunc  
 est, ibi vigebit florebitq;. 2. rat. operationis, quia Charitas non si-  
 bi saltem, sed & aliis prodest: fides autem subjectum suum non  
 egreditur, h. e. non prodest aliis ad salutem, sed credenti tantum.  
 Unusquisq; enim sua fide vivet Hab. 2. v. 4. Habet interim & fides  
 suas præ Charitate præminentias. Fide Justificamur, non Chari-  
 tate. Fides est causa charitatis, absq; fide Charitas peccatum est.  
 Verum tempus monet, ut hic subsistamus. Quare brevia hæc suf-  
 ficiant. Deus bonitate optimus, potentia maximus, Fidei, Spei,  
 Charitatis in nobis Effecto, Conservator, Consummator, faxit,  
 ut ita credamus, speremus, amemus, quò tandem ex hoc imper-  
 fecto in perfectissimum statum translocati, id, quod hic in spe, ibi  
 in re possideamus, cumq; flagrantissimo amore æternum di-  
 ligamus. Fiat! ita fiat, ô Jehova!

Amen.

DEO TRINUNI GLORIA.





Ung. VI 23

= [Dissertationes  
theol. Vol. 59]


ULB Halle

002 386 852


3



Zeho  
UD 77



# Farbkarte #13



ARITUM TRIGA.

DE, SPE  
RITATE  
TATIO.

*m.*  
bergensi Academij  
issimo Auspice  
esidio

*riſimi & Excellentiſſimi*

**RIS MEISNERI**

& Professoris publici  
celeberrimi

*idam proponit*

**IEMAN Holsatus.**

*in Auditorio majori  
tutinus.*

**BERGAE,  
ISTIANI THAM,  
ypogr.**

**DC XXV.**